

Q. K. 238, 24



De Obitu
Viri Nobilissimi Amplissimique
**FRIDERICI BENEDICTI
CARPZOVII,**
In Republica Lipsiensi Senatoris Aedilisque
integerrimi ac Polyhistoris summi,

ad Virum
Maxime Reuerendum, Amplissimum,
atque Excellentissimum

**IOHANNEM GEORGIVM
PRITIVM,**

SS. Theologiae Licentiatum, Ecclesiae
Serueftanae in Principatu Anhaltino Pastorem, & in Gymnasio
Prouinciali Theologiae Metaphysicesque Professore,
Publicum, optime merentem,

Fautorem & Amicum veterem,

EPISTOLA

M. CHRISTIANI IVNCKER, Dresdensis,
in Ill. Gymnasio Saxo-Henneb. Schleusingae Con-Rectoris.

Schleusingae,
typis Georgi Wilh. Goebeli, Gymn. Typogr. Anno cl^o Is cxcix.



85 EFFIGIES F. B. CARPZOVII.

Petrus Gassendus *in Vita Peirescii de Iohanne Vincentio Pinello, p. m. 13.*

Cum vero in se omnium ora oculosque conuerteret, notissimus sane & carissimus potissimum Peirescius fuit laudatissimo illi Iohanni Vincentio Pinello; qui origine Genuensis & patria Neapolitanus, eam ciuitatem delegerat; in qua tranquille aeuum degens totum se bonis artibus, litterisque, ingenuis promouendis consecraret. Is videlicet Bibliothecam instructissimam appararat, rerumque omnium exquisitarum promtuarium instruxerat; ac aevi illius litteratos omnes, qua prope qua procul, si quid libris aliisque rebus opus haberent, adiutabat. Callentissimus ipse rerum, & excitabat omnium studia, & fores suas colloquiis consuetudinique eruditorum virorum tam advenarum, quam indigenarum apertas habebat. Testimonium illi dixerunt & Lipsius, & Scaliger, & Thuanus, & Casaubonus, & Pithoeus, & quis non ex laudatis Viris?

Idem de Iacobo Augusto Thuano, p. 99.

Haec inter dolor infandus fuit, quo excepit Peirescius mortem amicissimi capitis, Iacobi Augusti Thuani. Vix certe unquam sine suspiriis meminisse illius potuit, vix unquam sine elogio; quippe continuo illum dicens, quem & auitae nobilitatis decus, & singularis erga Deum, Patriam, Principem suum pietas, & doctrina eximia, summusque erga litteratos ac probos omnes viros amor, & inexhausta bonitas, moresque candidissimi, vere *Σιβυρῶν* reddidissent.

Idem denique de Peirescio ipso, p. 253.

Ac fortassis quidem, si esse contigisset superstiti, fuissent tandem honores amplissimi, non expetenti licet, delati; Verum ii nil poterant gloriae eius addere, qui suffragiis communibus fuit semper quammaximis dignus. Quin etiam, ut fuit semper ditior iis, quas contempsit opibus: ita gloriosior honoribus, quos ambire est dedignatus. Quare & licet medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum tamen ad gloriam spectat, aeuum peregit longissimum; qui virtute sua obtinuit famam nominis sempiternam. Quippe donec supererunt, qui bonas litteras amabunt, memoriam illius carissimam ducent, cuius amorem in litteras, & munificentiam erga litteratos, per omnes respersam libros contuebuntur.

Vit





Vir Maxime Reuerende, Amplissime atque
Excellentissime,

Fautor atque Amice plurimum colende.



Quidem ex illo tempore, quo, res meas cu-
rante ita Deo ac Serenisimorum PRIN-
CIPUM Gratia, ad obeundam potius forte
quam exornandam ConRectoris in Illustri
Gymnasio Saxo-Hennebergico spartam huc
Schleusingam Lipsia concessi, nihil abs TE
litterarum accepi, neque mihi etiam præci-
pua scribendi hætenus caussa exstitit; & vero qui mutui amoris sin-
ceritatem olim colloquiorum frequentia solebamus metiri, nunc
etiam videri possemus pristinam exuisse fidem, aut quodam cor-
repti esse frigusculo, quod per tres quasi annos epistolarum inter-
nos cessauit vsus: Tamen, cum non defore persuadear, quod otio
huic nostro vterque prætendamus, malo iam publica scriptione pa-
lam facere, quanto in pretio TUAM semper habuerim amicitiam;
praesertim, cum gemina eaque laeta simul quidem sed perinde etiam
tristissima & voluntati maxime aduersa caussa hoc officium requi-
rat. Sane cum non ex amicis solum Lipsiensibus, verum & Max.

4
Reuerendo, Amplissimo atque Excellentissimo *Friderico Ernesto Meifio*, SS. Theol. Licentiato, Ecclesiae Schleusingensis Pastore, Gymnasiique Ephoro ac Theologiae Publico Professore, Patrono & Adfines meo plurimum colendo, socio quippe honorum TVORVM, accepissem, TE & Pastoralis publicaeque in Ill. Gymnasio Professionis, quam vocant, & proximi summo in Theologia gradus dignitate, a Serenissimo PRINCIPE Anhaltino-Serueftano, & a Facultate Theologica Lipsiensi Summe Reuerenda, fuisse auctum: dici non potest, quam iucundum id mihi fuerit cognitu; neque parum sane sum laetatus de egregio isthoc studiorum TVORVM ornamento. Quod ut diuturnum sit, & ad multos TVA cura posthinc efformandos ex vtraque Templi Scholaeque cathedra immigret, ac dignum TE posteritatis memoriae gratae efficiat, ex animo precor etsi sero quidem, fat cito nunc tamen, quia fortassis fat bene.

Vt vero argumentum hoc plenum laetitiae prolixius exsequar, vetat ingens, qui mentem meam adhuc dum occupat, dolor, ob praematurum, quem nos homines & amici iudicamus, at ipsi felicem Obitum eminentis ingenio Viri FRIDERICI BENEDICTI CARPZOVII, in Republica Lipsiensi integerrimi Senatoris, Viri in tantum laudandi, in quantum & eruditio morumque rectitudo potest intelligi. Hic enim vti praeter vllam expectationem contigit, dum vigor ille membrorum, & qui ori infidebat pulcerrimus color, vitam omnino longissimam pollicebatur: ita TVVM, dubio procul, meum certe atque cunctorum, qui virtutes ipsius in Germania variisque Europae provinciis sunt admirati & frequenter coluerunt, animos duro velut ictu prostravit. Nunquam TVA, quod non temere credo, sed nec mea imo excidet memoria, quam suaues miscuerimus inuicem sermones, cum vel conuiuio, quod saepe fiebat, exciperemur ab ipso, vel copia in bibliopolarum officinis colloquendi essemus potiti, nunquam quoque nisi doctiores facti recedentes. Mali etiam simus ingrati que, siquidem beneficiorum, quibus nos auxit ornauitque subinde maximis, quicquid videlicet in Bibliotheca sua rarissimum habebat communicando nobiscum, atque libris interdum donando, iuuandoque consiliis, & prospiciendo rebus nostris, vellemus turpiter obliuisci. Non ea vero mens nobis est; saltem nolim ego eorum haberi nume-

mero, qui quos, cum viuerent, magni fecerunt, facile transmittunt obliuioni fato suo defunctos. Probet vulgus amicitias utilitate: nobis fas esto maius quidpiam in CARPZOVIO etiam viuis erepto venerari. Id enim vt faceremus meruit ille de nobis deque vniuerso qua patet litterario orbe.

Non Etsi itaque omnino persuadeam, nihil abs me perscribi de Eo iam ad TE posse & in notitiam reuocari, quod ipse non habeas accurate perspectum comprobatumque multorum annorum experientia: non aegre tamen, quod spero, feres, siquidem TVO meoque nomine hac publica scriptione magnitudinem amoris dolorisque, quo profequimur Virum hunc beatum, leui modo penicillo audeam designare, totam imaginis Eius expresionem feliciori calamo ingenioque relicturus.

Quod si igitur specimen illius nunc dandum sit, frustra video ostendere Gallos suum Nicolaum Fabry Peirescium & Hieronymum Bignonium, aut Italos Iohannem Vincentium Pinellum, maximi nominis Viros nactosque meritis immortalitatem, cum habeat Germania nostra, eiusque ocellus Lipsia, in FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO, quod conferre in exemplum simile possit. Certe quicquid diligentissimus Vitae Peirescii enarrator, *Petrus Gassendus* de hoc eleganter est commentatus praedicauitque, id omne quam scite accommodari queat CARPZOVII institutis statim patet. Vt ideo parum absit quin credam, Eum imitari Peirescium in plurimis studuisse, quod cerneret, consuetudinem suam animique inclinationem a moribus Peirescii non plane abhorere. Et quidem verame dicere iam senties, vbi huius vitam, quod arbitror esse factum, perlegeris. Idem enim generis splendor, annisque primis educatio eadem, studia vbique paria, Senatoria dignitas, linguarum omnisque elegantioris doctrinae scientia, felicitas opum, & profluens exinde in pauperes doctosque liberalitas, cura Bibliothecae, officiorum eruditae praestandorum, promptitudo, frequentissimum litterarum per omnem Europam commercium, in iuuandis amicis, promouendisque communibus studiis sollicitudo, multaeque virtutes aliae, haut difficulter persuadent, quam egregie inuicem vtrique conueniat. Sane vel in Gente, ex qua ortum duxit CARPZOVIVS, (*) dignum est ali-

A 3

quid

(*) Vide Cl. Ioh. Molleri Flensburg. Homonymoscopiam, p. m. 135. sf.



quid memoratu. Velut enim illa sola voluit sobole erudita incla-
rescere apud Germanos, Saxoniamque nostram inde iam per sesqui-
fere seculum illustravit, ac summa sese demum extulit gloria, cum
Iohannes Benedictus Pater quinque Filios, *Davidem Benedictum*, *Iohan-
nem Benedictam*, *Augustum Benedictum*, *Samuelem Benedictum*, & *Fride-
ricum hunc Benedictum*, Orbi postea daret in admirationem, non
minor felicitate *Q. Merelli*, de qua *Velleius Paterculus* (*) tanquam
de re singulari suaviter disserit. Non memineris autem, VIR AM-
PLISSIME, ullam in alia Europae natione familiam in tot filios suos
transmisisse eruditionem, & velut haereditario iure iisdem reli-
quisse, vsque adeo longa temporis serie; quamvis & *Oleariorum*,
Meibomiorumque apud Saxones gens, apud Danos autem *Wormiorum*
Bartholinorumque, illustres in omni doctrina Viros, at modo tamen
per hoc, quod finem suum expectat proxime, seculum, propaga-
vit. Iamque flore adhuc pulcherrimo eadem haec sese stirps ef-
fert, dum incomparabilium Theologorum, IOHANNIS BENE-
DICTI, quem TV mecum habere olim solebas in deliciis, nuper
quoque naturae debita beata morte exsoluentem, & SAMVELIS
BENEDICTI, cui TV mecum perinde non potes quin diurni-
tatem vitae prosperitatemque successuum sincero animo adprece-
ris; dum horum, inquam, Filii Patrum excellentissimorum Ma-
iorumque vestigia recto legunt tramite, & gentis suae honorem
ipsi simul aeternare contendunt. Hoc itaque solum defuisse feli-
citati FRIDERICI BENEDICTI videri possit, quod Filium post
se non relinquat paterni nominis gloriaeque haeredem. Equi-
dem ea etiam in re boni civis explevit officium, genuitque ex
ANNA ELISABETHA IAEGERIA, egregiarum virtutum femi-
na, sobolem masculam; eius tamen spe educandae excidit post ali-
quot annos, cum funus illius tristissimus ipse prosequeretur. In-
terim quod filii fortassis potuissent, id nunc efficiunt Musae, ve-
tantque mori CARPZOVIVM.

Prodidit is autem in iuventute, quantus olim futurus esset;
& quamvis animum ad studia iuris adplicuerit, trahi tamen se-
passus est litterarum humaniorum voluptate, quas omnino exco-
luit, & in iisdem fere solis acquieuit, semel eorum dulcedine captus.

De-
bius (*) I. XI. 6.

Declaravitque, cum vix annum aetatis vigesimum esset supergressus, quantum in illis profecisset, cum sub magni Theologi D. *Eri-
derici Rappolti* moderamine in cathedra Philosophica Academiae
Lipsiensis de *P. Virgilio Maronis Ecloga IV* disputans audiretur laeto
praesentium cum applausu. Inde Germaniam Belgiumque per-
agrans non minuit famam sua praesentia apud celebres in variis
Academiis Viros, sed auctam eam potius sensit postea, cum faci-
lem sibi ad ipsorum amicitiam aditum patere intelligeret longo
dehinc usu confirmatam. Haec enim prima inclarescendi funda-
menta iecit, quæ robur suum postmodum acceperunt, cum fre-
quenti litterarum commercio sese ipsosque exerceret, & studia
sua indies ipsis adprobaret. Hanc quippe viam commodissimam
est arbitratus, qua & consilia possent conferri, & conciliari men-
tes, ac fieri commune quicquid in orbe erudito ageretur. Unde
nunquam ipsum fugiebat, si quid apud Gallos Italosue & Anglos
aut Belgas, Germanosque demum & Danos Suecosue, vel nouo-
rum librorum prodibat, vel reciprocabatur controuersiarum, vel
meditabantur alii, aut pertractatum volebant. Nulla erat ex
Germaniae aut illarum regionum Academiis, ex quibus non quo-
tidie propemodum acciperet litteras de illis rebus differentes, qua-
rum noscendarum cupidine cum primis trahebatur. Multos etiam
noui misisse suas commentationes, easdemque ipsius iudicio sub-
iecisse mino ante notandas quam publicae luci donarentur; mul-
tos quoque noui exorasse eius suppetias. Quod cum fieret, fie-
bat autem saepissime, dici non potest, quam promptus fuerit ac sol-
licitus, vt desiderijs ipsorum faceret fati, excutiendo suam Biblio-
thecam, apud alios inquirendo, Codices MSS. rarissimaeque no-
tae libros commodando, scribendo curiose, suaque etiam interdum
ex re familiari erogando sumtus, vt eo nitidius prodirent quae
digna luce publica iudicasset doctorum Virorum meditamenta.

Neque TE, VIR AMPLISSIME, latet, vt ex antiquiori-
bus, & ex postremis saltim vnum attingam, quod *CARPZOVII*
cura effecerit, vt *Thomae Reinesii* Inscriptiones, (*) & *Pausanias* Grae-
cus Scriptor, elegantissimo *Ioachimi Kubnii* in Argentoratensi Aca-

(*) vide *Amplissimi Viri Wilb. Ernesti Tenzelii Dialogos menstruos,*
anno 1691. p. m. 138. 139.



demia celeberrimi Professoris Commentario locupletatus, ederentur; cuius studia etiam adiuuit, cum ex Bibliotheca Gymnasii huius nostri publica Codicem *Iulii Pollucis*, manu *Godofredi Iungermanni* scriptis notis eruditissimis auctum, impetraret, quo accuratius, laudato *Kubnio*, & *Iohanne Rodolpho Wetsteinio* Theologo Basileensi, Graece doctissimo, prospiciente, *Onomasticon* illius posset recudi. Nosti etiam, quoties, cum aliquid chartarum palantium, adferebatur, vel ipse nactus erat carmen terse compositum, illud, quo latius diffunderetur, suis impensis iusserit typis repeti, miseritque deinceps ad amicos quos ubique habebat.

Ex hoc quippe in bonas litteras amore non effectum est solum, ut, ne alia adhuc multa commemorem, *Petri Petiti* & aliorum Poemata Graeca Latinaque de Thea Herba, *M. Antonii Maioragii* Oratio de Auro celeberrimi *Morbosii* imitatione expressa, *Petri Danielis Huetii* Episcopi Abrinconensis in Gallia quaedam, Excellentissimi in Aula Elector. Brandeb. Status Ministri *Pauli a Fuchs* Oratio, & *Iani Brouckhousii* ac *Petri Francii* Poëmata in Academiae Hallensis auspicia, etiam *Iohannis Georgii Graevii* ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum de iisdem Epistola gratulatoria, & cuncta propemodum *Iohannis Godofredi Herrichenii*, Viri Clarissimi, ipsius ac TVI quondam Praeceptoris, Carmina Graeca, quod ab exteris quoque illa sciret haberi in pretio, & ut eorum copiam facere, vellet saepius sollicitaretur; & nuper adhuc missa ad ipsum Roma *Innocentii XII.* Pontificis Maximi *Bulla* aduersus *Francisci de Salignac Fénelon* Archiepiscopi Cameracensis librum de amore diuino, ingentes haectenus apud Gallos turbas excitantem, (quod ipse nos docuisti, VIR AMPLISSIME, in elegantissima Oratione, auspicio Lectionum in Gymnasio Seruestano publicarum praemissa) recenti editione vulgarentur; sed & ut Bibliopolis occasio esset bonos libros subiiciendi praelis.

Nam ut ex nouissimis tantum exempla pauca reuocem TIBI in memoriam, folius CARPZOVII sollicitudini oportet ut acceptum referant eruditi, quod *Iuliani Apostatae* Libris ab Illustrissimo *Ezechiele a Spanheim*, Serenissimi Electoris Brandenburgici Ministro Status, & velut olim ita nunc adhuc apud Galliae Regem Oratore, quo cum ipsi familiaritas a multis annis intercessit, luculen-

❁ (❁) ❁

9

lentissime enarratis, *Huetii* Demonstratione Euangelica & Quaestionibus Alnetanis, *Andreae Morelli* Specimine rei nummariae, (cuius *Thesaurum* numeris omnibus absolutum suo tempore expectamus;) *Iani Nicii Erythraei*, Pinacotheca Imaginum, Orationibus Celeberrimorum apud Batauos Virorum, *Friderici Spanhemii*, *Iohannis Georgii Graeuii*, *Iacobi Perizonii*, & *Petri Francii*, quibus obitum *Mariae Stuartae*, Britannorum Reginae, ante aliquot annos publice deplorarunt; *Vitis* demum *Philippi Melancthonis*, *Georgii Principis Anhaltini*, & *Helii Eobani Hefsi*, vno coniunctis Volumine, itemque *Huberti Langueti* Epistolis, & nuperrime demum *Pauli Sarpii* seu *Petri Suauis Polani* Historia Concilii Tridentini, multisque adhuc aliis probae notae Libris, quorum omnium titulos legere ita taedio TIBI fortassis foret, vt mihi omnes recensuisse voluptati; laeti nunc perfruantur.

Talium vero curam cum susciperet, & redigebat ipse omnia commode in ordinem, & aderat consilio rem tractantibus, dirigebatque operas typothetarum, atque emendabat chartas incredibili cum labore. Vidi tamen saepius ipsum perficientem haec negotio facili, vsque adeo promptus ingenio manuque erat & alacris animo; comitatus quoque eum fui non raro officinas typographorum frequentantem, nec potui industriam eius satis admirari, praefertim cum scirem, non turpis alicuius lucelli gratia, quod ab eius moribus plane erat alienum, sed ex solo quo ferebatur in bonas litteras amore haec omnia proficisci. Inde etiam Bibliopolae Lipsienses aequae ac peregrini cum de negotiis talibus consilia ipsius explorassent, nunquam temere ab iisdem recedebant, tantoque adiutore cum primis gloriabantur, quem & benignum esse intelligerent & prudentissime cuncta moderantem.

Hac igitur ratione quamuis ingenii sui foetus noluerit excludere, qui pulcerrimi non esse non poterant, siquidem obstetricem iis manum lubuisset admouere, cuius instituti causas fateor me ignorare, nisi, quod certum habeo, modestiae suae id aduersum esse semper putauit: tamen & illa pro aliis sollertia, & incomparabilis graeci latinique sermonis, qua pollebat, facultas, effecerunt, vt nemini eorum, qui scriptis inclaruerunt, debeat haberi secundus, certe pauci cum ipso mereantur aequiparari. Non enim

enim ab *Aegidio Menagio* (*) solum laudem hanc tulit, sed & memini, aliquando in loco publico ipsum accenseri Triumviris, purissima hodie inter Germaniae Belgique eruditos utentibus latinitate, *Ezechielii a Spanheim, Iohanni Georgio Graenio, & Christophoro Cellario*; quod velim ne alii, quorum laudibus honorique nihil cupio derogatum, per invidiam forte dictum existiment. Testes autem, huius in scribendo elegantiae domi habeo litteras CARPZOVII fere ducentas, quas inde iam a septem annis, ex quo fauorem suum indulgere mihi coepit, constantem inde semper & beneficiis quamplurimis confirmatum, ad me Dresdam atque huc Schleusingham, perscripsit; in quibus verum demum illud vulgare deprehendi: *Lectio lecta placet decies repetita placebit*; usque adeo Gratias omnia spirant Veneremque. Quanta igitur censes voluptate eos fuisse perfusos, quos per decem, viginti, trigintaque fere annos epistolarum suarum amoenitatibus delectavit? Vtinam vero existat tandem, qui commercium hoc eius litterarium orbi exponere velit, vniuerso. Deus bone! quam diues tunc aperiretur rerum egregiarum thesaurus. Erit tamen olim, quod spero, qui hoc officium CARPZOVIO praestet, simulque colligat *singularia Bibliothecae*, quam instructissimam habuit, cum iniquum sit, tam excellentia bona commodis publicis inuideri. Hanc enim comparauerat sibi maximis sumptibus, ut publico posset vsui inferuire, cui soli erat destinata. Noluit scilicet sibi seruare, quod saepius, ne in priuatorum aut rudium inficetorumue hominum manus perueniret, Bibliothecae suae vindicauit. Hac fini & frequentare solebat Bibliopolarum tabernas, & publicas librorum autiones, iisdemque per plurimas interdum horas adsidere, curabat etiam ex locis peregrinis aduehi, quicquid aut sibi deesse sciret aut raro posse acquiri; quae inter praesertim magni aestimare consueuerat eos libros, quibus adiecerant adnotamenta sua Viri eruditi; quorum exempla ipse sequutus omnibus quos perlegerat libris subinde adscripsit, quae vel visa erant notatu aut obelisco digna, vel legentis occurrebant memoriae, quam tenacissimam erat nactus, viuae ideo, & ambulantis Bibliothecae nomen ab his, quibus cognitus erat, iure sortitus.

(*) *Menagiana, edit. primae, 1693. p. m. 165.*

Spectandam autem praecipue dedit industriam hanc suam, & styli nitorem, ex quo de *colligendis Eruditorum Actis* primus cum *Otone Menckenio*, Celeberrimo Viro, Anno cdo Idc LXXXI. salutare consilium iniit. Ac mirum dictu est, quam vehementer de eius successu sit gauisus, cum intelligeret non modo, quantam hoc instituto Lipsiensis Academia famam apud exteras gentes impetraret, sed & quantum inde in bonas litteras sensim proflueret utilitatis. Incrementa certe gaudii huius sentiit, postquam ab illo tempore, huc dum vsque serie XVIII annorum non interrupta perdurasse eximium hunc *Eruditorum Acta* colligendi laborem cognouit; cum neque deessent, qui eum in se susciperent, neque qui pretio iusto aestimarent. Singulis exemplo ipse praeibat suo facemque veluti praeferebat, socias Menckenio praestans operas & strenue, gnauiter, accurateque pensa sua absoluens, vna cum clarissimis in Academia Lipsiensi Viris, quorum pars coeli nunc sedes occupat, pars vero illam aut alia Musarum domicilia meritis nunc pergit ornare. Neque vllum facile praetermittebat diem, quo conuenire soliti sunt *Collectores*, quin aut adferret secum noui aliquid & eruditi, aut libri perlecti compendium, aut de rebus egregiis differeret, ita vt quasi animam addere corpori huic videretur **CARPZOVIVS**. Singulis autem Collegis, **TIBI** certe, **VIR AMPLISSIME**, meaeque mediocritati (cui etiam etsi praeter omne meritum singulari felicitate contigit adesse aliquamdiu inclyto huic *Collectorum Collegio*) iucundissimum fuit, comitari discedentem, suauesque cum eo miscere sermones, & nonnunquam etiam excipi prandio, hilaresque traducere horas, & simul semper tamen addiscere quod praeter ipsum paucis erat notum perspectumque. Interim, si recte **TVAM** mentem intelligo, optabis mecum longam adhuc *Menckenio* atque illis, quorum opera instituto huic praesto est, vitam, ne flos iste, quo Lipsia prae aliis Germaniae Academiae nunc superbit, citius, quam vellet eruditus orbis, marcescat, vtque exsurgat, qui obire possit **CARPZOVII** vices pari cum promptitudine simili- que successu.

Ita is autem se gerendo amorem vbique promeruit, & patriam nominis sui celebritate illustravit, quippe ex peregrinis etiam haud pauci cum Lipsiam accederent, in maximam felicitatis par-

tem posuerunt, CARPZOVIVM aut vidisse, aut consueuisse cum eo, affirmaruntque postea, multo maiorem eum fuisse deprehensum, quam quidem fama retulerit. Ipse adeo Serenissimus Elector Brandenburgicus FRIDERICVS III cum Academiae recentis in vrbe Hallensi auspicia daret, anno clō lo cxciv, hisque solemnibus spectator interesset CARPZOVIVS, non mensae solum inter aulae Proceres summos fuit admotus, sed & nomine Electoris, ad quem clementissimae admissionis copiam erat natus, aureo argenteoque nummo, auspicia ista aeternante, donatus; aliis quoque qui tum praesentes fuerant gratus acceptusque hospes, & ab iis cum omni honoris atque cultus demonstratione dimissus. Nec pauci ex Viris in maxime dignitate positis, quanti CARPZOVIVM facerent publice sunt testati, cum & libros ipsi suos dedicarent, quod a *Friderico Vlrico Calixto*, *Iohanne Friderico Cramero*, *Theodoro Ianssonio ab Almeloveen*, *Henrico Meibomio*, *Daniele Georgio Morhofio*, *Henrico Mublio*, *Iacobo Thomasio*, *Iohanne Christophoro Wagenfeilio*, & *Henrico Wetsteinio*, Commentationem de Deo, Vindicias Germanorum aduersus Gallos, Amoenitates Theologico - Philologicas, Huetii Censuram Philosophiae Cartesianae, Maioragii & suam Orationem de Auro, Conuiuium Gaudae eruditum, Praefationes, Peram Librorum Iuuenilium, & Numismata rariora maximi moduli ex Bibliotheca Cardinalis Carpegnae, ab aliisque adhuc alios ingenii partus ipsi offerentibus, factum esse constat; & interdum etiam ipsum de edendis iisdem in consilium adhiberent; quod facere nuper veritus non est *Georgius Caspar Kirchmaier*, Academiae VVittembergensis ornamentum, cum arbitrio CARPZOVII publice permissum vellet, num dignae viderentur, quas paratas praelo haberet peculiari libello consignatas, Dissertationes, quae vno Volumine iunctim prodirent.

Ceterum vel ipsum os CARPZOVII vultusque lineamenta Gratias crederes effinxisse, vsque adeo, quae faciem totumque corporis habitum condecorabat, mascula pulcritudo, & suaue illud eloquium blanditiesque verborum, aureis veluti catenulis aures animosque spectantium audientiumque ad se trahebant.

Ni-

Nihil ex eo accepit quisquam vel fordidum dictu minusue honestum, sed erudito sale conditum ac papauere sesamoq; conspersum erat quicquid dicebat; ita ut totos etiam cum eo fallere licuerit dies sine taedio, sine molestia, vno semper sermonis argumento alterum quasi protrudente. Vnde non foret difficile, quemadmodum Puteani fratres *Scaligeri*, *Thuani*, *Perroniique*, Anonymus *Aegidii Menagii*, & *Furetierii*, *Colomyez* & *Graverol Sorbierii*, & de *Valois Valesii Patris*, facete atque erudite dicta collegerunt, libellis singularibus, ita perinde etiam *Carpzouiana* stylo consignare; quae non minus iucunda atque vtilia lectu futura haud aegre illi persuadebuntur, qui ingenium eius leporesque cognitos vsu habuerunt.

De controuersis litibusque doctorum sentire ex aequo solebat, semper tamen petulantiam styli, si qua forte vterentur inuicem criminationesque & acerbe putideue dicta, quod veritatem talibus non erui sed obscurari foedarique intelligeret, detestatus. Nemini certe defuit in officiis praestandis, & maiora saepius obtulit, quam quis aut petere ausus erat aut poterat sperare, nullius ideo quoque iacturae metuens vnquam, nec, si quam forte fecisset, iniquo animo forens. Quem vero semel amore cultuae complexus erat, constanter postea dilexit, eamque constantiam muneribus litterariis ac frequenti epistolarum commercio declaravit. Cum primis rapuit me in admirationem, cum vel sedulum, attentumq; diuinis rebus in templis adfidentem eum conspicerem, ac docerer exemplis quamplurimis, quam liberaliter egestati studiosorum subueniret, quantaque cum sollertia funera eorundem prosequeretur, ut vel sola *CARPZOVII* praesentia funerum istorum solitudinem frequentissimam redderet & cohonestaret. Quo ipso simul suum erga cultores litterarum amorem voluit ostendisse, procul tamen ab omni arrogantia, aut vano placendi studio.

Talem igitur Virum requiret profecto alterum Seculum; diu desiderabit Lipsia vniuersa hoc sui decus; expetet Academia, quam consiliis adiuvit; cupiet sibi restitui Respublica, quam officiis integerrime auxit Senator; iugebunt Collectores Actorum Eruditorum hoc Praesidium, quemadmodum etiam olim Humorista-



rum Romae Societas solemniter Elogio Peirescium suum luxit ac celebravit; recolent eius memoriam, quotquot in Germania, Gallia, Anglia, Italia, Belgioque hodie florent eruditi, quibus CARPZO VII nomen carum semper ac venerabile fuit; nec obliuioni illam tradent, quos Lipsiae sincera fide complexus est, Amici. TVA certe, VIR AMPLISSIME, meaque mente, nunquam excident beneficia, quibus nos ornauit, per annos multos, sed obuersabitur semper animis nostris oculisque recens virtutum tantarum imago. Vtinam vero TIBI licuisset etiam CARPZO VIO *σωτηριον* scribere, quod scribebas olim Antonio Magliabechio, Magni Hetruriae Ducis Bibliothecae Custodi, Celeberrimo Viro, cum is morbo difficili liberatus nuntiaretur; idem sane & vel maius operae ab his, qui CARPZO VIVM amarunt, pretium tulisses.

Enimuero cum nostras res moderetur & supra nos negotia, curet Deus, animum tandem ex luctu hoc acerbissimo sensim compones mecum, rogabisque sollicita prece aeternum Numen, ut alios excitare velit ex Gente Carpzouia, qui Auunculi huius sui ac Iohannis etiam Benedicti, Theologi, merita honoresque suscipiant in se ac tueantur pari felicitate; fospitesque adhuc diu praestet in Ecclesiae purioris perpetuum emolumentum *Samuelem Benedictum*, & in Academiae Lipsiensis Jurisque prudentiae decus *Augustum Benedictum*, defunctorum Fratres; ut adeo, quod nomen familiae *Carpzouiorum* commune inuuit bono omine, (*) *Semen Iustorum maneat semper in feris etiam posteris BENE-DICTVM.*

Fas autem denique esto, *Friderici Benedicti* sepulcro ponere hoc monumentum, ad eius exemplum, quod Peirescio a Rigaltio erectum fuit exactumque:

HEIC. SITVS.

FRIDERICVS. BENEDICTVS. CARPZOVIVS.
AMPLISSIMI. ORDINIS. IN. LIPSIENSI. CVRIA.
SENATOR. ET. AEDILIS.
CHRISTIANAM. RESVRRECTIONEM. EXPECTAT.

RE-

(*) ex Psalmo CXII. 2.



RECONDITISSIMOS. VARIAE ERVDITIONIS. THESAVROS.
 IPSE. ANIMO. COMPLEXVS.
 SAGACITATE. CONSILIO. LIBERALITATE.
 CVNCTIS. DISCIPLINARVM. STUDIOVIS.

APERVIT.

DOCTISSIMIS. VNDE. PROFICERENT.

SAEPE. MONSTRAVIT.

INTEGER. CIVIS. PROBVS. MARITVS. PIVS. PATER.
 REMPVBLICAM. CONIVGEM. LIBEROS.
 ORNAVIT. DILEXIT. FOVIT.

NATVS.

ANNO. c^o l^o CXLIX. IPSIS. KL. IANVARIIS.
 OBIIT.

ANNO. c^o l^o XCIX. DIE. XX. MAII.

QVINQVAGENARIO. MAIOR.

TVMVLO. HVIC. ILLATVS. DIE. XXIII. MAII.
 IPSO. DESIDERII. DIE.

CVM. ERVDITORVM. BONORVMQVE. OMNIVM
 LACRVMIS.

OPTIMO. VIRO. BENE. OMNES. ADPRECARI.
 DECET.

Vale, Vir Amplissime, & res Tuas in Ecclesia Scholaque age post-
 hinc feliciter, meque veteri amore prosequi perge,

*Max. Reuerendae atque Excellentissimae
 Amplitudini TVAE*

*Dabam Schleusingae in Comitatu
 Hennebergico, die XX. Iunii.
 A. R. S. c^o l^o CXCIX.*

omni officio studioque

addictissimum

M. Christianum Juncker.

La 5006

ULB Halle
001 588 15X

3



Max. Kerschbaum
Christmann
Halle



Q. K. 238, 24

De O
Viri Nobilissimi
**FRIDERICI E
CARPZ**

In Republica Lipsiensi S
integerrimi ac Poly

ad Viri
Maxime Reuerendun
atque Excelle

**IOHANNEM C
PRITI**

SS. Theologiae Licen
Seruestanae in Principatu Anhalt
Prouinciali Theologiae Meta
Publicum, optin

Fautorem & Am

EPIST
M. CHRISTIANI IV
in Ill. Gymnasio Saxo-Henneb

Schleusi
typis Georgi Wilh. Goebeli, Gyn

